

3135

C O D I C E S

3136

Agilus conf. *Solina*, *Pbara*, *Baltidis* virgines fatis peregrini paene omnes. Finem imponit Officium pro Mortuis. Theca anterior in folio typis excuso prioris Seculi possessorem prodit *Antonium de Lamare D. de Cheneuarin*, cujus Stirpis Scriptores duos novimus *Nicolaum* et *Pbilibertum*, additis cum descriptione *heraldica* ejus Insignibus aeri incis.

DCCCXCIV.

498 Codex membraneus lat. Sec. XVI. Folior. 200. 4. caractere grandi, eoque nitidissimo exaratus, literis initiorum coloribus auroque adumbratis, titulisque miniatis, est *Horarium*, scriptum, ut videtur, in *Augustana* Dioecesi, nam in *Calendario* praevio ad diem 4. Julii rubro legitur: *In Augusta Vdalrici episcopi*, ad diem 7. Aug. *In augusta affre martyris*, ad diem 12. *In Augusta Hylarie et ali.* ad diem 6. Sept. *Magni abbatis*, ad diem 22. *Mauricii et soc.* ad diem 28. *Dedicatio matricis ec. Aug.* ad 29. Oct. *Narcissi episcopi et martyris*. *Calendarium* sequuntur *Excerpta Evangeliorum*, ut *Cod. DCCCLXXI*. *Passio Christi* secundum *Johannem*. *Officium*. B. V. M. *Psalmi Poenitentiales* cum *Litanis*. *Officium* pro *Defunctis*. *Officium* de *S. Cruce*. *Orationes* variae ad *Deum* et *Coelites*, item ante et post *Eucharistiae* functionem *perfolvendae*. *Maximum Codici ornamentum* accedit a *nitidissimis Picturis*, quarum *sex finitae*

sunt, una inchoata, ductibus tantum linearibus designata altera. Quae exhibentur, haec sunt: *Johannes* in lebete olei, *Christus* orans in monte *Olivet*, *Salutatio* *Virginis Angelica*, *Ejusdem* *Visitatio*, *Corpus Christi* *Sepulchro* inferendum, *David* *Populi* pestilentiam deprecans, *Servator* *cruci* adfixus adstantibus *Suis*, et *Ejus* in *Jordane* *Baptismus*. *Margines* *παραγραφα* ornant, saepe parum pertinentia; ita *Pueros*, quibus *efformandis* maxime *studuisse* videtur *Artifex*, *musicos*, *venatores*, *lusores* videas. *Fol.* 82. *Christo* *crucem* *bajulanti* *obponitur* *triumphus Romanorum*, insignitus anno *MDXXIII*. qui annus operis conditi credendus, quamvis ultimam illi manum non impositam fuisse, praeter dicta testantur *Folia* aliquot *vacua Picturis* destinata et complures *Litterae* initiorum *solis* ductibus *indicatae*.

DCCCXCV.

Codex membraneus lat. Sec. 85^a XII. Folior. nunc 188. 8. est enim utrinque mutilus, luculente et eleganter perscriptus, rubricisque enotatus *sacras Precationes* continet, quarum *praecipuae* partes sunt: *Cursus de Spiritu sancto*, et *de VII. donis spiritus sancti*. *Prior* *Feminae* est; orat enim: *ut talis inueniar in eius iustissima examinatione, qualis facta sum in lauacro felicissima regeneratione. ut eius medicamine imbuta, sacrosancti lauacri ablutione lota, bonisque operibus decorata ad eterna gaudia perv-*